



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 12. Auarus quomodo seipsum cruciet?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

*ma metuentes. Propter illum diuturna ad-
matis ieiunia. Noui ego diuitem in agrum pro-
ficiscentem, panes breuiores vrbe delatos nume-
rare solere; ut pro numero panis aestimaretur,
quot dies in agro futurus esset. Nolebat obfigna-
tum aperire horreum, ne quid de condito minu-
eretur. Panis vnus singulis diebus deputaba-
tur, qui tenacem vix satiare posset. Comperi
etiam viri fidem, si quando ei ouum esset apposi-
tum, queri, quòd pullus esset occisus. Hoc ego
scribo, ut cognoscatis vindicem esse Dei iustitiã,
qua lachrymas pauperum vestro ulciscatur it-
iunio. Hæc Ambrosius.*

§. XII.

Auarus quomodo se ipsum cruciet?

*Quæ confirmantur quotidiana experi-
entia eorum, quibus pecunia est pro anima,
argentum pro sanguine, aurum pro vita;
nam hanc malunt fundere, quàm nummos
perdere. Quæ S. Asterius grauitè & disertè
his verbis confirmat. Auarus propinquus est
odiosus, famulis grauis, amicis inutilis, exterius
difficilis, & vix affabilis, vicinis molestus, vxo-
ri malus contubernalis, liberorum parcus atq;
sordidus educator, sui ipsius malignus curator,
noctu interdiniq; sollicitus, & cogitabundus, secũ
ipse loquens ac differens, eorum more, qui mente
excide-*

*S. Aste-
rius hom.
de auari-
tia.*

exciderunt, & in insaniam lapsi sunt, denique cum omnibus abundat, tamquam omnium egenus ingemiscit; presentibus non fruitur; quae absunt, anxie quarit; proprijs non utitur; & ad aliena oculos aduertit. Multi (inquit) in istius grege agni: stabula vix capiunt, planicies ac pascua tota teguntur. At si pinguem & bene habitam ouem vicini viderit, misso proprio grege in unam, & alienam illam cupiditate fertur. Atque ita quoque de bobus, equis, agris. Omnium copia rerum ades coangustat, sine usu, sine fructu. Nullum enim percipere fructum voluptatis potest, quisquis insatiabilis: estq; domus eius similis conditorijs, siue sepulchris, quae saepe plena sunt auro atque argento, cum qui utatur existat nemo. Corpus auari non alitur; anima nihil lucratur, quia non exuberat à dextera eius elemosyna. Quis autem laboris & arumnae finis? Dicat eorum aliquis, quos hic morbus corripuit. Multos equidem ipse noui, qui etiam cum in morbo cubant, pecuniam salute sua magis ament, & aestiment. Nam si forte medicus remedium eis parabile praescribit, ac parui pretij, ex apio puta, thymo, vel anetho, quae passim obuia sunt, & paruo comparantur, sine mora consilio obtemperant. Si verò medicamentorum eiusmodi mentio, quae ex pluribus componuntur,

nuntur, & vel ex pharmacopolio, vel ex unguentaria petenda sunt, animam potius exhalent, quàm crumenam soluant. Quid mirum? cùm mente & cogitationibus terreni sint, terrestrium possessionem rerum vitam & spiritum ducunt.

§. XIII.

Auaritiam nec mortuis parcere.

Quid jam mirum, si in alios sæuit, qui amore diuitiarum se ipsum occidit? Priami filius Polydorus, initio belli Troiani, ad Polymnestorem Thraciæ regem, cum magna vi auri à patre missus, vt si contingeret Troiam capi, ipse genus & urbem posset instaurare; auri cupiditate, à rege barbaro interfectus est. Quod Poëta his versibus deplorat,

Virgil.
lib. 3.
Æneid.

Hunc Polydorum auri quondã cum pondere magno

Infelix Priamus, furtim mandarat alendum

Treicio regi: cùm iam diffideret armis

Dardania: cingiq; urbem obsidione videret.

Ille, vt opes fracta Teucrum, & fortuna recessit,

Res Agamemnonias, victriciaq; arma secutus,

Est